

precibus aliquid moturum ratus, cum ad Hannibalem noctu transisset, postquam nihil lacrimae mouebant condicionesque tristes, ut ab irato uictore, ferebantur, transfuga ex oratore factus apud hostem mansit, moriturum adfirmans qui sub 5 condicionibus iis de pace ageret. Postulabatur autem, redderent res Turdetanis traditoque omni auro atque argento egressi urbe cum singulis uestimentis ibi habitarent ubi 6 Poenus iussisset. Has pacis leges abnuente Alcone accepturos Saguntinos, Alorcus, uinci animos ubi alia uincantur adfirmans, se pacis eius interpretem fore pollicetur; erat autem tum miles Hannibalis, ceterum publice Saguntinis 7 amicus atque hospes. Tradito palam telo custodibus hostium transgressus munimenta ad praetorem Saguntinum—et ipse 8 ita iubebat—est deductus. Quo cum extemplo concursus omnis generis hominum esset factus, submota cetera multitudine senatus Alorco datus est, cuius talis oratio fuit:

13 ‘Si ciuis uester Alco, sicut ad pacem petendam ad Hannibalem uenit, ita pacis condiciones ab Hannibale ad uos rettulisset, superuacaneum hoc mihi fuisset iter, quo nec 2 orator Hannibalis nec transfuga ad uos ueni; sed cum ille aut uestra aut sua culpa manserit apud hostem—sua, si metum simulauit: uestra, si periculum est apud uos uera referentibus—ego, ne ignoraretis esse et salutis aliquas et pacis uobis condiciones, pro uetusto hospicio quod mihi